

De particularum quarundam in latinitate Hieronymi usu obseruationes.

Alioqui noue, ut resonet fere id quod etenim (denn . . ja, ja auch), uideaturque alicui graeci ἄλλως τε καὶ suscepisse potestatem, saepe, ut quaestt. hebr. in Genes. 21, 15 sq. 'fiente matre . . Deus exaudiuit . . alioqui et ipsa mater non suam mortem, sed filii deplorabat', c(ontra) Ioann. Hieros. 37 'iste Isidorus . . non legatus aduenisse uidetur (sc. tibi), sed socius; alioqui et literae manu eius scriptae . . Vincentio presbytero redditae sunt, . . quibus cohortatur ducem exercitus sui, ut . . stabili persistat gradu', in Abd(iam) 1, 1 'paruus propheta uersuum supputatione, non sensuum; alioqui ut in tribus uoluminibus Salomonis canticum canticorum quanto breuius est, tanto difficilius', in Isai. II ad 3, 4 'non quod aetate esset iuuenis (Roboam), sed sapientia, alioqui quadraginta et amplius annorum regnum accepisse narratur', in Ioel 1, 3 'aegritudinem animi dicimus, alioqui corporis non aegritudo, sed aegrotatio nominatur', adu. Iouinian. I, 34, nom. (de situ et nominibus) locor. hebraic. col. 258 Vallars. al. (ceterum ut uulgo in Sophon. 1, 12: non quod male Deus faciat . ., alioqui et scalpellus medici malus erit, quia resecat uulnera', in Ezech IX ad 29, 3 sqq., ep. 61, 3 al.).

altrinsecus nouo more pro utrimque, von, auf beiden Seiten Lact., scr. hist. Aug., Amm., Pacat., Hier. ep. 84, 4 'rapiat me utraque turma diuersum altrinsecus, quia magistrum utrumque confiteor' (sc. et Apollinarium et Didymum, dogmatum inter se contrariorum), adu. Iouin. I 8 'ubi proprietates singulorum est, ibi altrinsecus diuersitas', Vulg., Aug., Oros., Fulg. M. (Spicil. p. 264). Cf. forinsecus ad eundem modum i. foris Col., Plin., Lact., Amm., Theod. Prisc., Hier. in Cant. tr. 1 col. 509 'forinsecus remanent', Pallad., Cassiod., contra i. foras App., Solin., Hier. in Ezech. XIV ad 47, 1 sqq. 'cum me duxisset per portam forinsecus ad uiam', in Is. XVIII ad 66, 6, ep. 98, 20, Oros., Coel. Aurel. (Spicil. l. l. n. 88), quemadmodum etiam intrinsecus in utramque partem Hieronymus adhibet, et i. intus (sc. opp. foris), ut uulgo, e. c. in Ezech. XI ad 40, 1 sqq. 'quae erant intrinsecus', et i. intro (praeunte Suet.), ut ib. XII ad 40, 14 sqq. 'quae fe-

nestrae obliquae siue *τοξικαί* idcirco a sagittis uocabulum perceperunt, quod instar sagittarum angustum in aedes lumen immittant, et intrinsecus dilatentur¹.

certe q. ex abundanti applicatum ad 'aut', 'uel', nec non et 'siue': aut certe, uel certe, siue certe (*ἤγουν* ?), uel ad 'an': an certe, ita quidem, ut aut certe . . in nostra loquela fere resonet: oder allenfalls, oder vielleicht, oder etwa, oder vielmehr, oder gar, freq. Hieronymus, ueluti in Ierem. II ad 7, 11 'uile aut certe (oder allenfalls) non uile palliolum possidet', in Ion. 1, 10 'quid hoc fecisti?' . . reprehendunt culpam, timorem confitentur . . uel certe (oder vielleicht), quod dicunt: quid hoc fecisti?, non increpant, sed interrogant', in Is. I ad 1, 19 sq. 'bona terrae illa puto dici, de quibus in psalmo (26, 13) legitur . . uel certe, quia Iudaeis loquebatur, qui necdum poterant capere spiritualia, pollicetur eis bona praesentis seculi', qu. hebr. in Gen. 10, 8 'Chalanne, quae postea uerso nomine . . est dicta Seleucia, uel certe quae nunc Ctesiphon appellatur', in Eccl. 7 col. 438: 'melius est nouissimum sermonis, quam principium eius'; meliores sunt in dicendo epilogi quam exordium, in his enim dicentis sollicitudo finitur, in illo incipit; uel certe sic: qui incipit audire sermonem, . . in principio est; qui uero extrema audit, consummatus est atque perfectus; sed et hoc modo intellegi potest: dum in isto seculo sumus cett., ep. 78, mans. 29 (Gadgad) interpretatur nuntius siue expeditio et accinctio uel certe, quod nos uerius arbitramur, . . concisio', in Ezech. hom. 11, 1 'in ciuitatem siue negotiatorum siue negotiatricem siue translatorum siue certe, ut LXX interpretati sunt, muratam', ep. 61, 3 'ne uel innocentiam uel simplicitatem tuam uel certe (oder gar) ea quae taceo et te non intellegente ceteri intellegunt stilo proferas', adu. Iouin. I 27, adu. Heluid. 4, in Is. I ad 2, 20, III ad 6, 4 et ad u. 5, V ad 13, 20 sqq., ib. ad 21, 6 sqq., VII ad 19, 1 sqq., in Ierem. I ad 3, 22, II ad 9, 15 sq., in Ezech. X ad 32, 1 sqq., in Eccl. 4 col. 420, 6 col. 435, 7 col. 436, ep. 54, 15 . . , an certe c. Ioann. 22 'omne deinceps humanum genus quibus animarum censetur exordiis? utrum ex traduce, . . ut quomodo corpus ex corpore, sic anima generetur ex anima? an rationabiles creaturae desiderio corporum paulatim ad terram delapsae nouissime etiam humanis illigatae corporibus sint? an certe (oder vielmehr), quod ecclesiasticum est secundum eloquia Saluatoris, . . quotidie Deus fabricatur animas . .?', ep. 124, 5. Praeterea sic aut certe, uel certe legitur Firm. math. VI 31 'ex hac stellarum mixtura aut steriles uel hermaphroditi aut certe generantur eunuchi' et saep., Veg. mil. II 2, III 11 al. (an certe III 5), freq. Coel. Aur., ut tard. pass. III 8, 118 'dehinc ante diem radicum usus (melius erit) album ueratrum immittere, tunc sequenti die hoc detracto radices dare

¹ Nota intrinsecus cum gen. reg(ula) Pachomii 100 'in fenestra, idest intrinsecus parietis reponuntur', cf. utrimque c. gen. Coel. Aur.

uel certe hellebori decoctionem' al., it. Cass. Fel. medic. (prim. ed. V. Rose), ut e. c. 52 s. f. 'praefotis pedibus . . frigida aqua aut certe posca aquata', Vict. Vit. persec. Vand. IV 2, 5, alii postt¹.

ceterum saep. apud Hier. (non quidem noue: Hand Tursell. s. u. I 4 sqq.) cum ui adhibetur aduersatiua, ut interpreteris dagegen, aber, interdum etiam sondern, vielmehr: c. Pelag. I 16 'et ego hoc sentio, nullam creaturam . . posse esse perfectam, ceterum alium differre ab alio et diuersas (sc. quantitate) esse in hominibus iustitias nulli dubium est', III 17 'ille haeticum interficit, qui esse haeticum patitur, ceterum (dagegen) nostra correctio uiuificatio est, ut haeresi moriens uiuas catholicae fidei', I 14, III 18, in Is. praef. 'Isaiae librum, in quo maiorum nostrorum ingenia sudauerunt, Graecorum dico, ceterum apud Latinos grande silentium est praeter . . martyrem Victorinum', in Ier. II ad 10, 6 sqq. 'qui in seculo sapientes putantur, ceterum apud Deum stulti sunt', in Gal. III ad 6, 1 'uinci quippe uel uincere nonnunquam in nostra est potestate, ceterum tentari in potestate tentantis est', in Zach. I ad 2, 1 'hoc haetici suspicentur, ceterum nos (i. nos autem) montem Sion interpretemur ecclesiam', ep. 106, 13, — ep. 146, 1 'potentia diuitiarum et paupertatis humilitas uel sublimiorem uel inferiorem episcopum non facit, ceterum (sondern) omnes apostolorum successores sunt' al. Pro alioqui (Hand l. l. 11) dici uidetur in Eccl. 5 col. 431 'et haec secundum simplicem sensum, ceterum, ut altius eleuemur, de philosophis mihi uidetur . . dicere'.

cur i. quod in enuntiatione subiunctiua pendente a uerbis, quibus causandi quaedam inest uis, ut sunt accusare, mirari, inuidere sim., ubi saltem non facile interpreteris warum, weshalb, sed dass, weil, — consuetudine magis quidem recentiorum (etiamsi similia quaedam ueterum attulit Hand s. u. I 1 et 2): in Eccl. 10 col. 477 'quia uisus fuerat accusare eos, cur tacerent et non uterentur officio magistrorum', ep. 61, 2 'arguendus sum, cur per me Latini bona eius (i. e. Origenis) habeant et mala ignorant?', 27, 1 'quosdam mihi studiose detrahere, cur aduersum auctoritatem ueterum . . aliqua emendare tentauerim', u(ita) Hilarion. 21 'inrepuuit uirginem, cur fecisset talia', ep. 21, 41 'no-uissimo inuides, cur tecum aequalem consequatur salutem', in Ier. VI ad 32, 1, c. Pelag. I 19, III 6 al.; cf. locos Spartiani, Veg. m., Sulp. Seu., Sidon. et postt., quos attulimus Ztschr. f. österr. Gymn. 1874 p. 580. Eodem modo quare c. Pelag. I 19, 'indignetur lucifer, quare fulgorem lunae non habeat', adu. Rufin.

¹ Proprie autem aduerbii certe in huiusmodi uim esse quandam aduersatiuam (cf. uero . .), ita ut 'aut certe' sit = oder aber, probat Isid. reg. monach. 18, 3 'si excommunicatio biduana fuerit, excommunicato nihil alimenti praebendum est; certe si plurimorum dierum illata fuerit communionis suspensio, sola panis et aquae adhibenda erit refectio', — quo tamen supradictis nihil diffinditur.

I 16 'argue interpretes, quare non unam explicationem secuti sint, et in eadem re quid uel sibi uel aliis uideatur enumerent'. Nota, quod quare etiam adhibet in interrogatione recta, ut c. Pelag. II 14 'quod cupiebat, quare facere non poterat?', II 25 et 30, in Ezech. hom. 1, 4 'quare Christus filius hominis appellatur?', c. Ioann. 27, adu. Iouin. I 12, in Is. I ad 2, 15 al., — id quod non quidem nouum, at certe Tulliani uix est usus (num enim Orat. I 16 ferendum sit, dubitari potest). Praeter tralaticia cf. Sen. uit. beat. 17, 2 'quare paedagogium pretiosa ueste subcingitur?', Fronto ep. ad M. Ant. II 1, Vop. Firm. 4 'quare non faeces bibisti?', S. S. uet., ut Ps. 43, 23 sq. ap. Firm. err. prof. rel. p. 34 Burs. et Vulg.

et: perfamiliares est Hieronymo praemisso imperatiuo uel coniunctiuo, quo aliquid fieri iubetur, pergere per 'et' ad id quod ueniens et certo quidem euenturum sit (Hand s. u. c. II 21), ueluti in Is. I ad 2, 4 'ueteres eoluamus historias, et inueniemus (so werden, dann werden wir finden) usque ad uicesimum octauum Caesaris Augusti annum in toto orbe terrarum fuisse discordiam', adu. Lucif. 15 'conueniat unusquisque cor suum, et in omni uita inueniet quam rarum sit fidelem animam inueniri', adu. Iouin. II 34, in Mich. II ad 4, 8 sq. et ita saep. Notus est usus graecorum per *καί* particulam cum praecedenti consequens ut iunctum atque contiguum copulandi, ueluti *ἤδη ἦν μεσημβρία καὶ ἄνθρωποι ἡσθάνοντο* (da merkten . .), *πειθου λέγοντι καὶ οὐχ ἀμαρτήσῃ* (dann wirst du . .), consimilique ratione iidem ut conuenientiae consequentium determinatiuam *οὕτω (καὶ οὕτω)* adhibuerunt, ueluti *ἀποφυγῶν τούτους στρατηγός οὕτω ἀπεδέχθη* (ward er dann . .). Atque ita Latini quoque praesertim sequiores interdum sic particulam adhibuerunt (cf. Scrut. p. 10* sq.), ut et Hier. u. Paul. erem. 7 'indicat iter, et sic ex oculis mirantis euanuit', ib. 13, u. Hil. 27, ep. 22, 8 'prius uenter (ebrietate) extenditur, et sic cetera membra concitantur', adu. Iouin. 15 'his uiduis, quas amissis maritis sic inuenerit fides christiana', ep. 61 ex., 65, 1 al.

forsitan: quod docet Hand Turs. s. u. 10 ueteres non ponere forsitan praecedentibus si, nisi, ne, et qui hodie ita loquantur, nonnisi Cassiodori si forte defendere se posse exemplo, possunt equidem Hieronymi exemplis, ut ep. 129, 3 'ne forsitan lectoris tacita cogitatio trahat eum ad illam intellegentiam, ut . .', adu. Iouin. II 23, adu. Vigilant. 13, in Amos III ad 9, 2 sqq. al. (adu. Heluid. 11: ne forte aliquis Iudaeorum testimonium non admitteret al.), in Ezech. V ad 17, 19 sqq. 'non debemus, si forsitan ob aliquod peccatum de domo Dei eicimur, oblectari'. Idem haud raro forsitan et forsan, ut plane iam coalita ac uerbo aduerbii ritu, sicuti fortasse, apposita, non iam articuli uel q. d. coniunctionis uicem imposita, cum indicatiuo coniungit (cf. Hand l. l. 7, Krebs-Allgayer Antibarbarus, Frcf. a. M. 1876 p. 483 sq.), ueluti ep. 3, 5 'forsan (diabolus) antiquae fraudis memor famem suadere tentabit . ., opes forsitan gloriamque proponet', 14, 6: forsitan dicturus es, 7, 6 (nonnunquam tamen et ipse c. conii, ut

c. Ioann. 13 'forsitan et haec simpliciter more suo sit locutus' al.). Simili ratione, tanquam coalita nimirum in particulae compositivae unitatem (quemadmodum fors sit an in forsitan), Hieronymus sermone inferre solet etiam: potest fieri ut . . (q. = forsitan), scilicet exterminata e uerbo q. e. fieri notione temporis (sicut in graeco ἔσται οἷ tam temporis quam numeri), ueluti qu. hebr. in Gen. 12, 4 'potest fieri ut . . ante paucos annos Thora de Chaldaea profectus uenerit in Chanaan, quam mortem obierit' (cum alioqui dicere debuerit: potest factum esse, ut . .), ib. in uers. 15 sq., — haud dubium quin cum ellipsi uerbi e contextu subaudiendi, ut in Is. VII ad 23, 8 sq.: 'contaminatione contaminabit eum' haud dubium quin sacerdos (sc. contamine), VI in 13, 10 'splendor earum', haud dubium quin stellarum, III ad 6, 9: 'cum inuicem non essent consentientes', haud dubium quin Iudaei, 'discedebant', V ad 23, 11, — et frequentatum in S. S. transl. uet. ut quid (ἴνα τί sc. γένηται), ueluti ep. 22, 37 'ut quid mihi ieiunatis?' al. Adnotamus denique, pro fortasse apud Hieronymum quoque inueniri formam fortassis (Scrut. p. 71), ut adu. Rufin. II 8 'fortassis et nonnullos alios'.

hodieque (Hand III p. 100 sqq., HA p. 100) etiam Hieronymus usurpat adu. Vigil. 11 'spiritus iste immundus . . saepe hoc uilissimo tortus est puluere (i. e. cineribus sanctorum), immo hodieque torquetur', in Cant. tr. 2 col. 521 al.

hucusque temporaliter Capit. (Scrut. p. 65), Paneg. (Hand Turs. III p. 108 sq.), Claudian., Hier. c. Pelag. III 6 'cur passus sit et hucusque patiatur quotidie aliquid in mundo mali fieri', c. Ioann. 43, ep. 123, 16 al., Cod. Theod. (loc. pA, Hier. in Dan. 12, 12: hucusque Daniele in hebraeo uolumine legitimus al.). Item ad alia aduerbia temp. applicatum legitimus apud nostrum usque, ueluti usque hodie u. Hilar. 9 'cellula quae usque hodie permanet', it. 40, 47, qu. hebr. in Gen. 9, 18 'Aegyptus usque hodie in Aegyptiorum lingua Ham dicitur', c. Pelag. II 17, adu. Iouin. I 49 ex., adu. Vigil. 14 et saepe, usque nunc nom. loc. hebr. col. 138 'usque nunc ostenditur uilla ab oppido Malathis quarto lapide', ib. col. 134 al., saepius postpositiue nunc usque, ut l. l. col. 138 uicus nuncusque grandis, col. 150, 163, in Mich. I ad 1, 10 sqq., ep. 112, 8 nunc usque uiuentium al., Amm., Claud., usque impraesentiarum¹, ut in Ier. I ad 4, 19 sq.

¹ impraesentiarum (de quo cf. Hand Turs. III p. 234 sqq.) uix apud ullum scriptorem magis frequentatum inuenimus. Exempla sunt nom. loc. hebr. col. 130 'quercus Abraam et mausoleum eius impraesentiarum (i. etiam nunc, adhuc) cernitur', adu. Iouin. II 24 'impraesentiarum nauigamus, luctamur . . , ut in fine perueniamus ad portum, coronemur, triumphemus', adu. Rufin. III 10 'nisi forte non fuit impraesentiarum, qui tuas emendaret uenias' (i. ineptias), Did. spir. sanct. 59, in Eccl. 3 col. 409, in Is. I ad 1, 7 al., Vulg. (ad praesens e. c. adu. Iouin. II 17 'Anania frangebat ad praesens ligneas torques, et in futurum ferreas praeparabat', in praesenti Did. spir.

μακάσσει, quod uerbum usque impraesentiarum quid significet ignoro, in Ezech. VIII ad 27, 15 sq. al., usque mane ep. 147, 6 'a uespere usque mane'. Denique usquequo ui temporali interrogatiue legitur in Ier. I ad 4, 14 'usquequo iniquis cogitationibus subiaces?' al., Vulg., idem relatiue et i. donec nos quidem e Breuiario in Psalterium, quod fertur et est fortasse Hieronymi, enotauius, ueluti in ps. 11 'membra deminuta erant, usquequo caput eorum aduenit' al., alios autem IV sec. scriptores ita locutos esse alibi demonstrauimus (Subrel. p. 24 sq., Spicil. p. 188). Ceterum in scriptis Hieronymi e confesso genuinis abusque, adusque, inusque me legere non memini.

modo prorsus pro nunc, in praesenti (non iam *ἄρτι*, sed *νῦν*) more recentiorum (iuxta quem 'a modo' freq. iam S. S. uet. eadem ui, qua eadem 'a nunc' usurpat, et scriptores sexti potissimum seculi modernus, ut hodiernus a hodie, ab eo q. e. modo declinatum, nequaquam a modus) Hieronymus quoque saepius adhibet, ut adu. Iouin. II 21 'ante nudo eras pede, modo non solum calceato, sed et ornato', in Eccl. 7 col. 439 'ne dicas meliores fuisse dies sub Moysse . . . , quam modo sunt, nam et illo tempore plures fuerunt increduli', ib. 3 col. 408 'tempus proelii modo, non agentibus eis poenitentiam, et tempus pacis in futuro, quando . . . omnis Israel saluus erit', adu. Iouin. II 24 'sine causa appellatur dies extrema iudicii, si modo iudicat Deus', in Ezech. IV ad c. 15 'quarum (pomiferarum arborum) et Scriptura modo (q. transl. pro: hoc loco)¹ nullam facit mentionem', ep. 17, 3 al.

necdum pro nondum, cuius abusionis exempla ap. Hand Turs. IV p. 148 sunt Colum. p., Plin. pan. 56, 2, recc. Palladii, nos Scrut. p. 64 al. addidimus Tac. s., Tert., Cypr., Amm., Veg. m., Claudiani, all., persaepe adhibet Hier., ut in Is. XIII praef. 'iam tertius decimus explanationum liber cuditur, qui necdum peruenit ad calcem', III ad 8, 1 sqq. 'ut necdum natus populum suum saluaret', in Luc. hom. 6 'licet eam uir necdum nosset', in Eccl. 2 col. 399 'quia sub Saulo necdum regnabatur in Israel', ib. sup., adu. Iouin. I 47 'cum mihi mulieres Apostoli ingerant auctoritatem, et necdum elato fuere prioris uiri digamiae praecepta decantent', c. Rufin. III 16, c. Pelag. I 8, adu. Lucif. 16, in Ier. I ad 1, 4 sq., ep. 1, 2, ep. 2, ep. 3, 3; 5, 2; 8; 13; 18, 11; 37, 4 al., Salu. auar. I 8 'necessitate exclusus a uitii et tum, puto, peccat, quando cessauerint (scelera), quia, quantum ad animum, necdum desiit qui adhuc uelit peccare, si possit' al.

sanct. 63). Adnotamus ad id exemplum, in quo 'impraesentiarum' ad tempus praeteritum cernitur translatum, ad eundem modum etiam 'adhuc', quod est = etiam nunc, pro etiamtum cum alios constet adhibuisse, tum Hieronymum quoque saepius usurpasse, ut adu. Iouin. I 25 'quomodo potuit habere filios, qui adhuc puer erat', u. Hil. 12, adu. Rufin. II 22, ep. 18, 12 et 127, 5 al.

¹ Cum inuersa (a loco ad tempus) translatione 'ad id locorum', exemplo pr. et Liu., saepe adhibuerit Hieronymus, e. c. quu. hebr. in Gen. 48, 1 'quia Ioseph ad id locorum duos tantum filios habuerit'.

ad *nisi* adnotamus, saepe. Hieronymum uti formula: non sufficit (non satis est) . . . nisi cum coniunctiuo, indicante plerumque, quid aliquis insuper siue fecerit siue expetierit, ueluti in Is. V ad 14, 12 sqq. 'nec suffecerat superbiae eius (Luciferi) desiderare coelestia, nisi ad tantam prorupisset insaniam, ut Dei sibi similitudinem uindicaret' (scil. prorupit ad t. ins.), in Os(ee) II ad 8, 1 sqq. 'et non eis sufficit hoc scelus, nisi maiori iniquitate facinus duplicarent, ut argentum suum . . . in idola uerterent' (Os. 8, 4: fecerunt sibi idola), c. Pelag. I 29 'nonne nobis satis est patienter perdere quod habemus, nisi uiolento atque raptori agamus gratias?', I 25, III 14, c. Rufin. I 31, II 15 et 22, III 12 al. Eiusdemmodi est *parum est* (fuit) . . . nisi (si non): cum *indic.*, ut Liu. VI 40 'parum est, si, cuius pars tua nulla adhuc fuit, in partem eius uenis, nisi partem petendo totum traxeris?' (XXXVIII 54, 9 et XLII 3, 6 c. coni., sed in or. obl.), Plin. min., Capit. Marc. Ant. 18 'et parum sane fuit, quod illi (Marco) honores diuinos omnis aetas . . . omnis condicio ac dignitas dedit, nisi quod etiam sacrilegus iudicatus est, qui eius imaginem in sua domo non habuit', Tert. pat. 3 'parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotauit' (atqui habuit secum nec denotauit), cf. Oehler ad apol. 6, — cum *coni.*, ut Lact. mort. pers. 36, 5 'parumque hoc fuit, nisi etiam prouinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi pontifices superponeret', inst. I 10, 12, V 9, 10, VII 3, 9.

numquid pro *num saepe*, int. cett. ep. 21, 1 'numquid personae iusti tam immanis inuidia poterit coaptari?', ib. 34, ep. 22, 38; 27, 2 aliq., adu. Rufin. I 11, c. Ioann. 34, 35 . . . adu. Iouin. II 6, adu. Vigil. 14, 15, adu. Heluid. 6 . . . sed ita locutus esse constat non modo uett., sed Ciceronem. Non magis nouum est *utrumne*, ut in Ezech. hom. 3, 7 'ut scire possimus, utrumne eam (accusationem) in nobis deprehendamus'. Insolentius uero est *utrumnam*, quod Liu. XXXVII 17, quem locum citant lex., ferendum non esse putant, praesertim quod „das Wort sich sonst nicht sicher finde“ (Weissenborn), nos tamen aliquoties apud Hieronymum inuenimus, ut adu. Iouin. I 7 'utrumnam credens relinqueret non credentem?', Did. spir. sanct. 54 'considerandum, utrumnam et pecudum animae spiritus appellentur', reg. Pachom. 52.

pariter i. eodem tempore, simul, una (Hand Turs. IV p. 390 sq., HA p. 153 et Rh. Mus. XXXV p. 599 sq.), quod magis quidem est *recc.*, Hier. saepe, ut adu. Iouin. II 13 'si quando comedebant (panem), tusum pariter hyssopum sumebant in cibo¹, ut escam grauiorem illius calore concoquerent', reg. Pachom. 8 'cum ad uescendum p. conuenerint', ep. 96, 3 'qui p. nauigabant', in Eccl. 4 col. 422 'melius est duos p. esse quam unum', in Is. IV ad 11, 6 sqq. 'leo et ouis et uitulus p. morabuntur, quod quo-

¹ Sic in cibo sumere i. comedere etiam c. 14 'quorum (magorum) primos . . . excepta farina et olere nihil amplius in cibo sumere'.

tidie cernimus in ecclesia diuites et pauperes p. commorari¹, qu. hebr. in Gen. pr., c. Pelag. II 13, ep. 14, 1, u. Hilar. 14 et 23 ex., reg. Pachom. prf. 5 al. Exemplis aliorum retro exhibitis add. Solin. 1, 82 'ut si quando p. uiderentur, dignosci non possent', Firm. m. III 13, 10 et saep.

porro aduersatiue h. e. continuans orationem ad contraria (Kritz ad Sall. Iug. p. 152, Madvig ad Cic. Fin.² p. 189) saepius et Hier., ut ep. 20, 1 'alii opinati sunt osanna gloriam dici, porro (i. atqui) gloria chabod appellatur', 21, 34, adu. Iouin. I 11, in Eccl. 1 col. 387 'signanter non ait: terra in seculis stat, sed: in seculum; porro laudamus Dominum non in uno seculo, sed in secula seculorum', nom. loc. hebr. col. 202 'Esebon, ciuitas . . regis Amorrhaeorum in terra Galaad . . meminit huius Ieremias, . . porro nunc uocatur Esbus, urbs insignis Arabiae', in Ezech. hom. 2, 5 'si uero mille hominum eos (sermone) dixerint ueros, iudicio porro (i. autem) Dei fuerint falsi, quid mihi protest?' al., cf. Solin. 20 'sunt et uri, quos imperitum uulgus uocat bubalos, cum bubali paene ad ceruinam faciem in Africa procreentur, istis porro, quos uros dicimus, taurina cornua in tantum modum protenduntur, ut . . .'

*quamdiucunq*ue c. Pelag. I 7 'quamdiucunq; se uoluerit abstinere', Aug.

quanto . . tanto . . absque comparatiuis, ut Tac. ann. IV 67 (cf. Nipperdey ad I 68), Hier. ep. 100, 3 'quanto (lex) si despiciatur seueri iudicis imitatur truculentiam, tanto si seruetur clementissimi patris exhibet mansuetudinem'. Adnotamus hic loci, pro sollemni 'quisque' cum superlatiuo constructione apud Hieronymum quoque inueniri quisque, pluraliter fere, more recentiorum, cum comparatiuo iunctum, ut ep. 10, 3 'propter simpliciores quosque', et crebrius cum positiuo, ueluti in Eccl. pr. 'ut in morem commentarioli obscura quaeque dissererem', in Zach. I ad 2, 3—5 'alii rationabiles quosque et Scripturarum eruditos scientia homines intellegi uolunt (wollen . . unter 'Menschen' verstehen), iumenta uero simplices quosque credentium', in Is. I ad 2, 12 'excelsi quique et arrogantes captiuitati et gladio subiacebunt', II ad 5, 1, in Eccl. 10 col. 473, ep. 22, 23 et 24, ep. 84, 4 al., c. Pelag. II 20 in singulis quibusque sanctorum, in Is. I ad 2, 15 'iuxta leges tropologiae singula quaeque percurram', VI ad 14, 28—30, — singulariter quisque in Eccl. 10 col. 471 'ut imprudens quisque in ecclesia principatum teneat'².

¹ Cf. Tert. idol. 11 grauiora quaeque delicta al., Vict. Caes. 4, 5 'nobiliores quasque nuptas et uirgines scortorum modo secum prostituerat', 9, 9 probrosior quisque, Coel. Aur. tard. I 1, 36 'plurimi nerui inferiora quaeque communi natura complexi iisdem paria faciunt superiora' al., Salu. gub. Dei III 7, 27 'eligere forsitan maiora quaeque uideamur, quae nullus impleat', Claudian. Mam. stat. an. II 3, 1 'potiores quosque delegi'.

² Cf. Tert. apol. 11 'si conuictum malorum probi quique re-

quasi pro ut (Scrut. p. 66 sq.) in Eccl. 11 col. 483 'praesentia quasi fluxa fragilia et caduca contemnes' (h. e. non quasi sint, sed ut quae sunt fluxa), ep. 106, 80 'dicitis quia (i. quod) in graeco inueneritis (ps. 135, 7): magna solus, sed hoc de superiori uersiculo (135, 4) est, ubi legimus: qui facit mirabilia magna solus; ibi ergo legendum est, et hic, quasi superfluum, non scribendum' et saep. (q u a pro quatenus reg. Pachom. prf. 9 'et qua simplicitatem sermonis Aegyptii imitati sumus, interpretationis fides est', Vop.: Scr. 1. 1.).

quia et *quoniam* Hieronymus quoque = quod cum uerbo finito adhibere solet pro acc. et inf., quam constructionem posterioribus linguae temporibus inualescentem ipsam per se non hic est locus disserendi, sed alio nos loco iunctam ceteris Hieronymianae latinitatis in uerborum constructione proprietatibus proxime tractare posse speramus. Sed 'quia' et (multo quam illud rarioris in eiusmodi apud nostrum) 'quoniam' instar (longe crebrioris utroque) 'quod' in hoc enuntiationum genere adhibitorum exempla quaedam de scriptis Hieronymi in supplementum eorum, quae Spicil. p. 109—12 composuimus, hic interim placuit indere: in Eccl. 3 col. 416 'hoc solum inter homines et iumenta Deus esse¹ uoluit, quia nos loquimur, illa sunt muta', — in Is. I ad 1, 12 'dicendo, se hostias non quaesiuisset, ostendit, quia lex spiritualis est, et omnia quae Iudaei carnaliter faciunt a nobis impleri spiritualiter', qu. hebr. in Gen. 15, 10 sq., in Eccl. 8 col. 455 'manifestissime cognosce, quia bene erit his qui timent

'spuitis', ib. sup., 14 in., an. 33 'ad quae magis scelesti quam sancti quique properabunt', Cypr. habit. uirg. 21 'per hunc uiae limitem . . iusti quique gradiuntur' al. (ep. 69, 10: asserant necesse est singuli quique quod faciant), Spart. Seuer. 18 'ad erigendos industrios quosque iudicii singularis', Vop. Sat. 11 'longum est friuola quaeque connectere' (Valer. ap. Treb. Claud. 15 'tantum ministeriorum, quantum nos ipsi nobis, per singulas quasque decernimus ciuitates', Lampr. Alex. 55, 1, Vop. Aur. 9, 2), Vict. Caes. 42, 23 neglectus boni cuiusque, 20, 20, epit. 2, 6 'quae res bonos quosque pessumdedit', 10, 4, Cod. Theod. XII 12, 14 remedia fessis quibusque necessaria, XVI 8, 9, [Rufin.] comm. in Amos I ad 5, 10 sq. pauperes quosque, Cassian. collat. XXIV 24 'deuia quaeque ac dumosa sectamur', Vincent. Lirin. common. p. 283 ed. Brem. 'magnum hoc . . et ueris quibusque catholicis indefessa meditatione recolendum', ib. p. 278, Mart. Cap. II 152 (singuli quique), Coel. Aur. acut. pass. III 8, 81 'praecauentes dura quaeque . . dare mandenda' al. (II 18, 107 'alia quaeque nimium constrictiuae uirtutis', ad quae cf. Cass. Fel. 33 p. 69: sic omnia quaeque humida desiccantur), Claud. Mam. an. praef. 'quae studiosus quisque si non otiose capessat', Sidon. ep. II 6 'de quo boni quique bona quaeque iudicauerunt', IV 21, VII 2 (I ceteri quique Frontonianorum, II 7, 9 singuli quique).

¹ Nota idiotismum: est (pro interest) aliquid inter . . , ut est etiam in Eph. I ad 2, 1 sqq. 'inter peccatum carnis et mentium hoc esse puto, quod . . ', in Is. II ad 3, 13 sq. 'inter senes et principes hoc fuisse reor in ueteri populo, quod nunc est inter presbyteros et episcopos', et saep.

a facie Dei', ep. 11 'scio, quia nulla communio luci et tenebris est', ep. 18, 12 'ne sciens quidem, quia labia habebat immunda', c. con. ep. 18, 7 'sciendum, quia . . in Hebraeo sit positum: dominus sabaoth', nom. hebr. col. 16, c. Pelag. III 17 'sciens, quia peruersus sit', u. Hil. 38 'hanc habens fiduciam, quia . . diu latere non posset', Didym. spir. sanct. 3 'possumus testimonia de diuinis literis' exhibere, quia idem Spiritus et in apostolis et in prophetis fuerit', ib. 29 'audiens, quia esset filius Dauid', 31 'ostendit, quia . . sit', 8 'diximus, quia superintelligatur . .', ep. 106, 80 (sup. s. u. quasi) al.; — in Eccl. 9 col. 460 'utere dapibus, uino curas opprime, et intellege, quoniam a Deo tibi donata sunt ad utendum', — ep. 147, 1 'ignorans, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te hortetur', Did. spir. sanct. 53 'superius ostendimus, quoniam Filius sanctificet'.

quomodo relatiue ad ita uel sic usurpare Hieronymum, non quo id plane nouum esse putemus (immo Ciceronem quoque ita locutum non nescimus), sed frequentiae nomine commemoramus, ueluti adu. Iouin. I 14 'quomodo uirginibus ob fornicationis periculum concedit nuptias, ita ob eandem fornicationem uitandam concedit uiduis secunda matrimonia', ib. sup., 20, 35 ex., 37, II 6, in Eccl. 12 col. 495 . . quomodo . ., sic . . adu. Vigil. 1, in Is. VI ad 16, 11 sq., in Eccl. 1 col. 392 . .; quomodo in or. obl. cum infin. c. Ioann. 25 'quomodo, si sextarium lactis et uini mittas in pelagus, . . unum quidem et lac non perire, non tamen posse quod fustum est separari, sic substantiam carnis et sanguinis non perire quidem in originalibus materiis, non tamen in antiquam redire compaginem'. Nota etiam quomodo si i. tanquam si, ut c. Ioann. 30 'quomodo si nauim . . restitutam uelis, et neges singula, de quibus nauis construitur'.

retro i. ante, olim et attributiue (HA p. 109 sq., cl. Rönsh Ital. p. 343 sq.): adu. Rufin. II 10 'mysterium omnibus retro seculis ignoratum', c. Ioann. 9, in Ezech. III pr. 'omnis retro temporum series transacta', adu. Iouin. II 4 omnes r. sanctos, in Eccl. 12 col. 495, ep. 130, 3 'ab auis et atauis et omni r. nobilitate ornare quem laudes' al., Vulg. (aduerbialiter c. Pelag. I 28: ergo . . pereant omnes quos retro fuisse legimus), — Cl. Mam. an. III 13 in. 'uti agitatis retro disputationibus edocuimus'.

saltim praecedente si, ne: si saltim, ut in Is. VI ad 16, 11 sq. 'quomodo cithara non emittit uocalem sonum atque compositum, si saltim una chorda rupta fuerit', ne saltim (cf. Scrut. p. 12 sq., add. Claud. VI cons. Hon. 186) in Is. XII ad 41, 17 sqq. 'haec omnia pariter ponuntur in solitudine, ne saltim una chorda de cithara Domini . . deesse uideatur', ep. 81, 1.

solummodo: Did. spir. sanct. 2 'solummodo in nostratibus literis et notio eius (Spiritus Sancti) et uocabulum infertur', Dig., Minuc., Quint. decl.

si *tamen* (Scrut. p. 56) q. pro si modo saep., ut in Agg. 2, 16 sqq. 'qui nunc in Iesum Christum credimus, si tamen cre-

dimus et opere fidei ostendimus ueritatem', in Eccl. 3 col. 417, in Ezech. hom. 11, 5 'possumus, si tamen habeamus auditores, ad aliam quandam Ierusalem conscendere', u. Malch. 1, adu. Rufin. I 28 in., adu. Lucif. 14 in., in Mich. II ad 7, 5 sqq., ep. 119, 5 al.

uel pro 'et' positae (Subrel. p. 14 sq. n. 6) exempla inueniuntur ap. Hier. complura, nisi quod ex parte eo referri possunt, quod illa sunt inter se confinia ac permutabilia, quae grammatici nostrates Wechselbegriffe uocant: adu. Rufin. II 8 'quod puto Tertullianum sensisse uel Lactantium, fortassis et nonnullos alios', in Is. III ad 9, 1 'duplicem posuimus editionem, . . ut uel diuersitas interpretationis uel similitudo noscatur', in Eccl. 7 col. 446 'sapientiae auxilio confortatus uel ad bona uel ad mala praepara cor tuum', adu. Rufin. I 16, ib. 21 al. Inter uel et aut iam nullam superesse distantiam uno satis erit demonstrasse exemplo: in Is. V ad 19, 23 'quod dicitur: Aegyptii seruient Syris, uel sic accipiendum, quod Romanae legiones Syro instructae milite Aegyptum custodiant, a u t, quod utriusque gentis inter se commercia sint' ¹.

Reualiae.

C. Paucker.

¹ Nota coniunctiuorum hic uim esse futuri temporis, quemadmodum saepe apud Hieronymum, u. c. in Is. V ad 21, 13 sq. 'currite et lassis fratribus ac periclitantibus ardore sitis obuii ferte aquas, tantus enim feruor est solis, ut, nisi subueneritis, in solitudine pereant' i. perituri sint.